



TOPIC



~~1733~~

W. Stuber

W. Stuber



DISPUTATIO PHYSICA  
DE

23

MATERIA

COELI,

274M

D. O. M. A.

Consensu Amplissimi Philosopho-  
rum Collegij

In acaDEMIA IVLIA

PRÆSIDE

HENRICO RIXNERO

PHILOSOPH. MAG.

*Publico examini sistit*

IOHANN-EBERHART MÜLLER  
Lüethorstensis.

DIE JANUAR.

IN IVLEO MAIORI.



T 173

HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI

44

9



DISPUTATIO PHYSICA

MATERIA

COELI

D. O. M. A.

Consulis Amplissimi Philosophorum  
tunc Collegij

in Academia

HENRICO RIXNERO

PHILOSOPH. MAG.

JOHANNI ERHARTO STÜTZER

PHILOSOPH. MAG.

1752

JOHANNIS HELMSTÄDTER





DE  
MATERIA COELI

**D**uo in hac Dissertatione ventilabimus. *Primum est;* Num coeli & corporum coelestium aliqua sit materia? *Alterum;* Quænam aut qualis illa sit, & an cum materia rerum sublunarium ejusdem, an verò diversæ rationis? Hæc enim hæctenus controversa præcipuè sunt, & in duas Doctores partes diviserunt.

II. Quod prius attinet, à negativa ejus non multum alienus fuisse videtur Jamblichus libello de Mysteriis Ægyptiorum sect. xiv. ubi inquit: *Cæleste corpus rebus est incorporeis cognatissimum, propter naturam simplicem, indivisam, constantem, & actionem unam, id est circuitum, & vitam sibi congenitam atque lucem. Non fit in cælo compositio ex anima & corpore (h. e. formâ & materiâ) in tertiam naturam unam, sed prorsus ad naturam anima trahitur, atque est quasi visibilis quadam anima: fortè cælum est lumen ipsum sine materia & sine dimensione. Dimensio enim ibi propter amplam presentiam eius apparet. Vnde cælum est anima cæli, se ipsam accommodans oculis, rebusq; caducis, atque circulus ille est circuitus anima, lumen est intellectus ejusdem. Sicut in infimo corporum forma fit materialis, sic in summo materia fit formalis: & corpus animale, non anima corporalis, si qua modo est in cælo materia. Magis negat Averroës super lib. i. de Cælo comm. v. Corpus cæleste, ait, cum movetur per se, aut perveniet ad motum per se, necesse est ut sit in eo principium, quo movetur per se, & quod illud sit aliud à moto. Sed cum hoc ponitur, continget, quod corpus cæleste sit compositum*

ex materia & forma; quapropter continget, ut sit generabile  
& corruptibile. Hoc autem uti falsum sit, ita & absurdum  
esse opinatur Averroës, coelum constare ex materia &  
forma. Unde paulò post expressè scribit, errare opinan-  
tes, quod corpus caeleste componatur ex materia & forma.  
Hanc ipsam sententiam Durando quoque, Gabrieli Bieli,  
Ianduno, Aureolo, Zimara & Scoto tribuunt. Denique  
Iacobus Zabarella cum lib. de Natura coeli cap. II. scri-  
psisset: corpus illud (caeleste) constare ex materia & forma  
informante Averroës constantissime negavit, & ostendere ni-  
hilus est, caeleste corpus esse simplex, & actu per se ipsum absque  
ulla compositione materia cum formâ, qua de re in libello, quem  
de substantia orbis inscripsit, diligentissime disputavit: ca-  
pite VI. concludit: Manet probata opinio Averroës, quam  
veram esse puto, quod orbis caelestis sit corpus simplex, non con-  
stans ex materia & forma, ea verò tantum ratione ex materia  
& forma constet, quatenus intelligentia motrix dicitur forma,  
orbis verò dicitur materia. Proq; hac suâ & Averroës opini-  
one consensum Græcorum, Theophrasti, Alexandri, Am-  
monij, Themistij, Simplicij, Iamblichij, Olympiodori,  
& Michaëlis Ephesij, Zabarella allegat.

III. Equidem Paulus Sencinas XII. Metaph. quaest.  
VII. Averroë n ab errore isto liberare, & quod coelo ma-  
teriam utique tribuerit, ex quibusdam ipsius dictis osten-  
dere conatur. Caterum Javellus in IX. Met. quaest. XII.  
scribere non veretur: De Commentatore, ut sis verus Thomi-  
sta, teneas pro certo, quod negavit materiam partem compo-  
siti esse in caelo, & noli imitari in hoc Paulum Sencinatem, qui  
tenet propter quaedam dicta Commentatoris, Commentatorem  
concessisse verè materiam in caelo, & sic facit, B. Thomam i-  
gnorasse sensum Commentatoris, quod Thomista ut blasphemiam  
evitant, Quamquam tanti atque Javellus existimat  
haec res momenti non sit; imò impium potius, ob consen-  
sum

sum vel dissentum à Thoma in expositione cuiusdam Averrois opinionis, blasphemiae nota quempiam notare. Sensus dictorum illorum Averrois, quae Soncinas producit, Javellus declarat in fine citatae questionis.

IV. Ipsa assertio, quod coelum materia careat, in Aristotele fundari, & rationibus stabiliri posse videtur. Aristoteles enim lib. II. Metaph. cap. III. *ἅπαντα ἴσως*, inquit, *ἢ φύσιν ἔχει ὕλην*, fortasse *omnis natura* (omnes res naturales) *materiam habet*. Loquitur, uti apparet, dubitative. Sublunaribus verò materiam ab ipso tribui satis constat. Itaque de coelo & celestibus corporibus hinc ambigitur, num materiam habeant. Deinde lib. IX. Met. cap. I. docet, generationi & corruptioni obnoxia esse, quae ex materia & forma composita sunt. Et lib. IX. c. IX. omnem potentiam passivam esse contradictionis, sive se ad esse & non esse indiscriminatim habere. Item, coeli motum in potentia contradictionis non versari, quemadmodum motus eorum, quae caduca sive corruptibilia sunt. Iam si interitui exponuntur, quae materiam habent, materiae expers procul dubio coelum est, utpote naturam suam incorruptibilem. Siquè omnis potentia passiva est contradictionis, & actum cuius potentia est, habere & non habere potest; talem coelum non admittet, cum in natura perpetuo sit, & ad existere & non existere indiscriminatim se non habeat. Quod si verò ejusmodi potentia in coelo non reperitur; Ergo nec materia; quia in ea est potentia passiva & contradictionis, istaque negata, materia quoque negatur. Denique coeli motum in contradictionis potentia non versari, supponit, coelum à materia esse immune. Si enim motus rerum corruptibilium, idè in potentia est contradictionis, quia ipsae ex materia constant; Ergo motus incorruptibilium, quas inter coelum est, idè in potentia contradictionis non erit, quia materia o-

A 3

mni

anni carent. Antecedens expressè docet Aristoteles, cuius  
integra hæc sunt: *Neque enim eorum [corporum coelesti-  
um] motus, quemadmodum eorum, quæ caduca sunt, in po-  
tentia contradictionis versatur, ut laboriosa eis sit motus con-  
tinuatio. Huius enim rei causa est substantia, & materia ea,  
quæ potentia quadam existens actu non est. Itaque de conse-  
quenti dubitari nequit.*

V. Tum (ut rationibus res agatur) quia cœlū in na-  
tura substantia est nobilissima & perfectissima, etiam na-  
turæ erit perfectissimæ, & talis, quæ conditionem inferi-  
orum multum excedat. Hæc autem ex materia & forma  
composita sunt. Neutram igitur cœlum admittet. Porro  
ex transmutatione substantiali rerum, devenitur in co-  
gnitionem materiæ quam habent. Sed cœlum substanti-  
aliter non transmutatur. Ergo liberum à materia erit.

VI. Verum enim verò istis non obstantibus oppo-  
sitam & affirmativam sententiam tenent, ac rectè quidem,  
Thomas parte I. Summæ quæst. LXVI. art. II. Chryso-  
stomus Iavellus lib. IX. Metaphys. qu. XII. Franciscus Mur-  
cia part. V. Cursus Philosophici ad cap. III. lib. I. de cœlo,  
Disp. II. qu. III. Conimbricenses super I. de cœlo cap. II.  
quæst. IV. art. II. Eandemque statuisse ex veteribus Pyta-  
goram, Democritum, Platonem, Avicennam, Alexan-  
drū & Simplicium (quorū duos postremos pro se nomina-  
re Zabarella supra ausus fuit) testis est Arnoldus Verhel-  
part. I. Physiologiæ Aristotelicæ lib. V. cap. II. qu. IV. qui &  
ipse cum ijs facit. Quomodo sententia hæc firmari possit,  
& à Doctoribus istis roboretur, contraria autem refella-  
tur, paucis videamus.

VII. Thomas hunc in modum adversus Commen-  
torem procedit: *Impossibile est ponere aliquod ens actu,  
quin vel ipsum totum sit actus & forma, vel habeat actum seu  
formam. --- Si corpus cœleste non est, habens formam (quod est*

componi ex forma & subiecto forma); sequitur quod sit totum  
forma & actus. Omne autem tale est intellectum in actu. Quod  
de corpore caelesti dici non potest, cum sit sensibile. Vis ver-  
borum est: Quicquid actu existit, vel totum est actus &  
forma, vel tale quod formam habet. Sed coelum actu exi-  
stit. Ergo coelum vel totum est actus & forma, vel aliquid  
formam habens. Totum vero actus & forma esse nequit,  
quia sequeretur, quod intellectuale foret. Ergo erit aliquid  
habens in se formam, adeoque compositum ex materia &  
forma. Pari fere modo Iavellus: Corpus caeleste est aliquid  
actu, alioquin non moveretur; subiectum enim motus non est  
ens tantum in potentia. Sed omne quod est actu, vel est forma  
subsistens, ut substantia separata, vel habet formam in alio,  
quod se habet ad formam sicut materia, & sicut potentia ad a-  
ctum. Non potest dici, quod corpus caeli sit forma subsistens, quon-  
iam esset intellectuale, & intellectum in actu, non cadens sub  
sensu, nec sub quantitate, sicut & substantia separata. Ergo  
est habens formam in materia. Si propositiones in com-  
petentem locum suum ponantur, syllogismus exurget ta-  
lis: Quicquid est actu vel est forma subsistens, vel habet  
formam in alio. Corpus caeleste est aliquid actu. Ergo vel  
forma est subsistens, vel formam habet in alio. Prius au-  
tem dici non potest. Itaque posterius.

IX. Videtur autem Thomas nimis loqui confiden-  
ter & generaliter. Certè Major in argumento ejus absolu-  
tè vera non est: quia aliquid actu esse utique potest, quin  
tamen vel forma sit, vel formam habeat; uti claret in Deo  
& angelis, quos actu existere & interim nec ipsas formas  
esse, neque formam, si physicè loquamur, habere, in con-  
fesso est. Ubi dixeris, angelos esse formas assistentes coeli;  
rejectionem eam, ut quæ nullo fundamento nititur, solâ  
& simplici negatione excutimus. Et Thomæ quoque ipsi  
sermo

sermo de forma informantē est. Similiter materia prima  
actu est, non tamen actus & forma: Formis enim subji-  
tur. Et quamvis ijs naturaliter & ordinarie semper subsit,  
possibile tamen est, ut per omnipotentiam divinam exi-  
stat nuda absque formis. Alia non urgebo. Tu inquis:  
Propositionem illam Thomæ absolutē quidē veram non  
esse, universaliter tamen in natura obtinere, sic, quod na-  
turaliter dari nequeat verum & actuale ens, quin vel sit  
actus & forma, vel compositum ex forma & subjecto. Re-  
spondeo etiam id falsum esse. Nam affectiones corporis  
naturalis e. g. mobilitas; & operationes à formis proce-  
dentes, sunt actu, non tamen formæ, minus verò ipsum  
compositum. Ex quibus jam facile quoque de lavelli ar-  
gumento, & hujus majore judicari potest.

IX. Deinde nego in discursu Thomæ, id quod to-  
tum est actus & forma, esse quid intellectuale. Formæ e-  
nim brutorum, & materiales omnes, secundum se totas  
sunt formæ & actus, intellectu tamen prorsus destitutæ.

X. Sed pergit lavellus, & remissam contra Averro-  
em melioris notæ argumentis agit. Si coelum non est com-  
positum ex materia & forma, inquit, non est nec esse pot-  
est extensum & dimensionatum. Quia quod extenditur,  
ad extensionem materiæ suæ extenditur. Sed coelum est  
extensum, & partes habet extra partes, uti patet ad sen-  
sum. Ergo coelum ex materia & forma constat. Item: Nul-  
lum simplex quod est actus, recipit accidentia sensibilia:  
Quia recipere est pati; pati autem secundum ipsum Com-  
mentatorem est contrarium actui. Sed coelum recipit ac-  
cidentia sensibilia e. g. quantitatem. Coelum igitur non est  
sola forma & actus simplex, sed compositum ex actu &  
materia, quâ mediante recipit quantitatem. Denique u-  
bi qualitates sunt sensibiles, ibi est materia. In coelo sunt  
quali-

qualitates ejusmodi. Ergo. Hæc inquam Javelli argumen-  
ta superiori multò melioris notæ & accuratiora sunt, ma-  
teriamque in cœlo ponendam esse evincunt.

XI. Murcia assertionem suam hoc pacto firmat,  
(1) Cælum tanquã substantia in naturâ existens, vel est mate-  
ria vel forma, vel compositum ex utroque: sed cælum non est  
materia sola, quia hæc nec est per se locomobilis, neque potest si-  
ne forma, saltem de potentia Dei ordinaria & naturaliter da-  
ri: neque forma sola, quia hæc etiam non est per se mobilis,  
ut est cælum: Ergo est compositum ex materia & for-  
ma. (2) Præterea, quia si esset solum materia, vel forma; ergo  
esset naturâ suâ imperfectum: Vnde non esset causa efficiens  
perfectorum huius universi. Ita ille.

XII. Conimbricenses isto inter alia argumento u-  
tuntur: Si forma cœlestis esset sine omni materia, conve-  
niret ei immaterialis & nobilissima operatio, (nam ope-  
ratio sequitur esse & formam suam, & quò forma  
est à materia nexu liberior, eò & præstantioris natura)  
nempe intelligendi actus, & quidem nobiliori adhuc ra-  
tione quàm animæ nostræ rationali dum corpori & ma-  
teriae conjuncta est. Falsum verò est consequens: si enim  
cælum particeps est intellectiois, ergo & esse poterit be-  
atæ vitæ compos, quod iterum absurdum. Igitur falsum  
quoque antecedens. Quod si quis regerat, ad hoc quod  
forma cœli sit à materia immunis, non sequi, eam nobi-  
lissimam operationem, nempe intellectioem, edere, &  
animâ rationali conjunctâ præstantiorem esse, cum idè  
formis materialibus etiã sic futura sit magis affinis quàm  
intellectualis, quod in se divisibilis & extensa fuerit, ani-  
ma verò nostra indivisibilis omninò: Respondebunt Co-  
nimbricenses, fieri non posse ut aliquid sit divisibile, ni-  
si materiam habeat. Si igitur forma cœlestis extendatur  
B & di-

& dividi in partes queat, materiæ utique immerfam esse.  
Sin minus, nullam ipsi dimensionem aut divisibilitatem  
convenire.

XIII. Denique Arnoldus Verhel: *Cælum aut est a-  
ctus purus, aut potentia, aut compositum ex actu & materiæ  
potentiâ. Non est actus purus: nam esset ita intelligentia, non  
mobilis per se loco, cui nobilissima conveniret operatio, abstra-  
cta à materia, imò particeps foret æternæ vitæ. Non est pura  
potentia, quia ita non existeret actu hoc aliquid, nec ageret in  
inferiora. Ergo est compositum ex utroq., quod ens est, habens  
actum; Ens autem habens actum, constat ex materia & for-  
ma. Ista Verhel, quæ cum Conimbricensium discursu  
non parum affinitatis habent. Atq; sic patet quæ cœli ma-  
teriâ adstrui debeat, quæque à Doctoribus communiter  
asseratur: Præcipua enim argumenta in hoc negotio ista  
sunt, quæ produximus.*

XIV. Sed idem Aristotelis quoque testimonijs fir-  
mari potest. Libro ix. Metaph. cap. i. expresse ait: *Sensibi-  
les substantia omnes materiam habent.* Subsumam: *Cælum  
est substantia sensibilis (Quod nemo qui sensibus pollet te-  
merè negaverit). Cælum igitur materiam habet.* Libro  
xii. Met. ii. *Cuncta, quæ mutantur, materiam habent.* Sub-  
sumam iterum: *Cælum mutatur, [ movetur enim physi-  
cè ], itaque materiam habet.* Libro i. de Cælo c. ix. t. 95  
rotundè: *Cælum est quidem eorum, quæ singularia sunt, &  
EORVM, QUÆ EX MATERIA.* Sed, si non ex parte ipsius con-  
stat, sed ex universa, esse quidem ipsius cœli, & huius cœli a-  
liud est, non tamen aut erit aliud, aut utique continget fieri  
plures, propterea quod hoc materiam comprehendit universam.  
Denique ii. de Generat. & Corrupt. ix, t. 51. affirmat, etiam  
sempiternis, quale est cælum, principia physica, materi-  
am & formam inesse. *Sunt igitur & numero equalia prin-*

principia, & genere eadem, qua & in sempiternis & in primis.  
Illud enim ut materia est, hoc autem ut forma. Hæc Aristoteles.

XV. Cæterum eruditissimus Suarez mediâ ferme viâ ingreditur Disput. Metaph. XIII. sect. x. num. VII. & IX. statuens, neutram harum sententiarum evidenter probari posse, quia nullus effectus sit, qui manifestò nobis ostendat, esse vel non esse materiam in cælo. Interim ad affirmativam magis inclinât, eamque, etsi non omninò demonstrabilem, negativâ tamen multò probabiliorem iudicat. *Quantum ex signis, inquit, & effectibus nos iudicare possumus, verisimilius est, cælum esse compositum ex materia & forma.* Idque breviter ita probat: *Primò quidem, quia in illo sunt omnia accidentia, qua materiam consequuntur, exceptâ corruptibilitate; e. g. quantitas, qua eiusdem rationis est in omnibus corporibus. Deinde est in cælis rarum & densum, qua per materiam definiuntur. Ad hæc in cælis sunt quadam accidentia, qua videntur ordinata tantùm ad recipiendum, ut quantitas, secundùm quam sunt physicè mobiles; alia verò ad agendum, ut lumen, & si quæ sunt alia facultates, per quas influunt: Ergo sicut hæc indicant formam, ita illa indicant materiam. Deniq; omnia corpora physicè mobilia, sunt entia naturalia, & natura constant. Sed natura non est, nisi vel materia vel forma, neq; nos aliam physicam naturam cognoscimus: Ergo omnia corpora, etiam incorruptibilia, huiusmodi natura constant.*

XVI. Sic Suarezius. Interim, ut accepimus, hæsitat, & collectiones hæc tantùm ut probabiles habet. Cur verò affirmantibus calculum suum disertè addere renuat inde est, quod ipsi, sicut ibidem ait, *non est evidens, implicare contradictionem, fieri substantiam simplicem & completam, quantitatis capacem.* Qualis verò substantia illa sit, nec Suarezius explicuit, neq; capere & hariolari ego possum.

Sanè substantia simplex in presenti opponitur compositæ ex materia & forma. Sed ejus nomine Svarez non potest intelligere (1) ipsas compositi partes, materiam vel formam: loquitur enim de substantijs simplicibus completis, quales materia & forma non sunt. Neque (2) Spiritus: Cum illi quantitatis prorsus non sint capaces, ut notum est & omnes concedunt. Quam ergo & qualem substantiam simplicem completam, quæ quantitatis susceptiva sit, Svarezius putet, ego inquam videre nequeo, neque fortassis ipsemet satis intellexit.

XVII. Largimur tamen, materiam 'coeli evidentissimè demonstrari non posse, si de demonstratione rigorosâ, maximè propriâ, & quæ à priori est, loquamur. Materia enim hîc est ipsum principium, aliud unde demonstretur non admittens. Id vero nihil impedit quò minus à posteriori & ab affectionibus, materiam insequentibus, eam demonstremus. Qualem demonstrationem certam esse (licet certissima non sit) & in rerum cognitionem nos deducere, manifestius est, quàm ut moneri vel ostendi egeat. Jam ita colligamus, uti collegit ipse Svarez: Ubi sunt affectiones & accidentia, materiam necessariò insequentia, ibi est materia: quemadmodum ubi sunt effectus & attributa animæ rationalis, ibi est ipsa illa anima. Sed talia sunt in coelo. In eo igitur materia est. Eiusdem partim notæ, partim valoris sunt argumenta, quæ paulò ante ex Iavello, Murcia, & Conimbricensibus attulimus. Nec video quid in quarto Svarezi desideretur. Circa secundum tamen & tertium, quod Svarez in hac controversia pro affirmativa sententia formavit, hæc monemus (1) Densitatem in coelo non reperiri, & Svarezium hac hypothese, quod dentur orbis cœlestes reales, coelo ea tribuisse. Posse tamen raritatem admitti, si vox ista  
acci-

accipiatur pro subtilitate, & cœlum non aliter rarum dicatur, quàm quatenus corpus subtile & laxū est. (2) Multos profus negare, quod cœlum per lumen agat in inferiora, & contra asserere, ipsi virtutes quasdam, quibus influat & sublunarium conservationi ac generationi inserviat, esse congenitas, nobis tamen occultas.

XVIII. Reliquum est ut rationes & authoritates, pro negativâ allatæ, solvantur. Averroës ex cœli incorruptibilitate concludit, ipsi materiam non deberi, & sic argumentatur: Si materiam cœlum habet, corruptibile est. Posterius est falsum. Ergo & Prius. Verùm rectissime Suarez loco quem citavimus: Hæc, inquit, illatio non est bona: *Nam licet res immaterialis necessario sit incorruptibilis, non tamen convertitur: atq; ita, licet in re incorruptibili ut sic non sit necessaria compositio ex materia: ad incorruptibilitatem tamen potest esse necessaria propter alias causas, non impediente incorruptibilitate.* Quia, licet hæc sepe oriatur ex simplicitate rei, interdum tamen potest oriri ex indissolubili nexu formæ & materiæ. Neq; enim rationabiliter dici potest, repugnare unioni materiæ & formæ, quod sit indissolubilis. Quæ est enim hæc repugnantia? Non enim omnis compositio postulat, ut dissolvi possit etiam in naturalibus, ut patet in compositioe ex accidente, & subiecto. Si ergo datur forma accidentalis inseparabilis à subiecto, cur non poterit etiam dari forma substantialis inseparabilis à materia. Item compositio ex partibus integrantibus potest esse naturaliter indivisibilis, sicut est in cœlo: Ergo etiam alia compositio ex materiæ & formæ poterit esse naturaliter indissolubilis. Inefficax ergo est illatio, quæ fit ex incorruptibilitate ad carentiam materiæ.

XIX. Zabarellæ opinio, & quam ei addit, explicatio, thesi secundâ manifestatæ, partim falsæ partim ludicræ sunt. Existimat enim (1) orbem cœlestem esse corpus simplex, non constans ex materiæ & formæ, (2) Eâ tantum

ratione coelum ex materia & forma constare, quatenus  
intelligentia motrix dicatur forma; orbis autem mate-  
ria. Atqui verò, est ne apertissima contradictio, esse cor-  
pus, & ex materia tamen ac forma non constare? Profecto  
Aristoteles I. Phys. VII. t. 65. 66. corpus omne ex materia  
ac forma componi asleverat: Et *manifestum* est, inquit,  
quod, si quidem sunt causa, & principia eorum, quae natura  
sunt, ex quibus primis sunt, & facta sunt, non secundum accidens,  
sed unumquodque, quod dicitur secundum substantiam, quod omne  
& ex subiecto, & forma fit. --- Manifestum igitur est, quod  
quae fiunt, fiant ex his. Vel itaque coelum non erit corpus,  
vel constabit ex materia & forma. Nam quod rectè Scali-  
ger Exercit. ccc. lxx. sect. xi. *corpus facere sine materia, est  
facere insomnium sine somno.* Nec est ut regeras, etiam ab A-  
ristotele Coelum vocari corpus simplex. Non enim illud  
in ordine ad compositionem ex materia & forma præcisè,  
sed quod *immediatè* ex ijs componitur, & ad mixtionem  
intrinsecè non concurrat simplex appellavit. Deinde ne-  
gamus, coelum habere orbis reales, & assistentes intelli-  
gentias motrices. Ad quid enim conferunt? Et cui bono  
entia præter necessitatem multiplicantur? Quod si verò or-  
bis, & quæ eis assistant, intelligentiæ exploduntur, cadet  
quoque quod dixit Zabarella, non aliter coelum materi-  
am & formam habere, quam quatenus orbis materia, in-  
telligentia autem forma sit. Quo ad rem igitur omnem  
coelo materiam & formam Zabarella derogavit.

XX. Locum Aristotelis ex II. Metaph. c. III. Fon-  
seca in Commentarijs sic explicat: *Ea de causa videtur utri  
particula, fortasse: quia materia caelorum diversa est à ma-  
teria rerum corruptibilium.* Sed materiam coeli ab inferiorum  
& sublunarium materia minimè diversam esse pau-  
lò post ostendemus. Sequi igitur istam Fontecæ exposi-  
tio.

tionem non possumus. Itaque rectius, & talia, quæ no-  
strum alienum merentur, scribit in sequentibus: *Aristo-  
teles nonnunquam adhibet particulam; fortasse; non quia du-  
bitet omnino de pronunciato, sed aut modestie causa, aut quia  
eo loco non agit ex instituto de re proposita.* Hæc inquam nos  
bis probantur. Ut, dum Aristoteles dixit; fortasse omnes  
res naturales materiam habere; de nullo minus quàm  
hoc, quod cœlo materia non insit, dubitaverit.

XXI. Porrò verum est, in octavi Metaph. c. I, scri-  
psisse Philosophum, compositi ex materia & forma esse  
generationem & corruptionem; non tamen, quod na-  
turali generandi modo omne compositum generetur,  
vel omne naturaliter corrumpatur. Equidem si quod cor-  
pus est, id generatione productum est, & corruptioni vi-  
cissim obnoxium, cœlum sive sit, sive sublimare quod-  
dam. Interim aliquod, quale est cœlum, communi ratio-  
ne non generatur, neque naturaliter corrumpitur, eoque  
respectu ingenerabile & incorruptibile est. Concedimus  
igitur cœlum esse generatum, & aliquando corruptum &  
destructum iri, sed vi & virtute supernaturali.

XXII. Pro solutione ejus quod ex nono Metaphysi-  
corum adductum est, notant Conimbricenses art. III.  
potentiam apud Aristotelem duobus modis accipi:  
*Uno pro ea, quæ non semper cum actu iungitur; qualis est po-  
tentia ad sedendum, & facultas ad excipiendas formas à ma-  
teria separabiles: Altero, pro quavis non repugnantia, quo pã-  
cto dicere censemus, Socratem non modo ut sedeat, sed etiam  
ut suam humanitatem habeat, potentiam obtinere.* Quo  
posito dici posset; Aristotelem potentiam isthic loci in pri-  
ori sensu usurpasse, & hoc velle, quod omnis potentia  
passiva, quæ non semper cum actu conjungitur, sit con-  
tradictionis; Et talem non in cœlo sed inferiori tan-  
tum

tum natura reperiri. Nos interim putamus [ quod postea quoque dicitur ] materiam coelestem ex se non minus quam elementarem materiam esse in contradictionis potentia, caelo manente incorruptibili.

XXIII. Deniq; ad ultimam auctoritatem reponimus; non dicere Philosophum, quod motus caeli ideo non sit in potentia contradictionis, quia caelum materia careat, nec quod motus rerum caducarum in tali potentia ea de causa versetur, quia sint ex materia compositae. Sed materiam, *quae potentia quaedam existens, actu non est*, h. e. quae cum actu semper non copulatur, in causa esse, quod motus corruptibilium sit in potentia contradictionis. Qualis materiae status & conditio cum in caelestibus non reperitur, recte concluditur, in contradictionis potentia ea non esse.

XXIV. Ad rationes, thesi quinta positas, ita respondemus. Ad *primam*: Non sequitur, caelum in natura esse substantia nobilissima, & perfectissima natura, Ergo materiam & formam non habet. Ut enim quodque excellentioris formae est, eo & praestantioris naturae: nec enim aliunde de rerum physicarum praeminentia iudicare possumus. Coelum igitur in natura ideo perfectissima est substantia, & conditionem inferiorum excedit, quia nobilissima praeditum est forma. Ubi vero forma physica, ibidem & materia. Ad *secundam*: Negamus ex sola transmutatione substantiali argui materiam, quia colligi ea quoque ex accidentali sensibili potest, v. c. ex motu, & sic concludi: Coelum physice movetur: Ergo materiam habet. Tantum de prima quaestione.

XXV. Veniamus ad secundam, & quantum opus fuerit consideremus, quae ac qualis materia caeli sit, & an cum ea, quae inferiora constant, ejusdem an vero diversae ratio.

rationis? Prius tamen ne quid nos retardet notetur (1)  
quaestionem non esse; Num cœli & corporum cœlestium  
natura diversa sit, à natura sublunarium? quam non nul-  
licum priore, nescio quâ sive licentiâ sive incuriâ con-  
fundunt. Arnoldus Verhel jam pridem nobis allegatus,  
quaestionem ita format: *An materia cœlestis eadem  
sit cum materia inferiorum.* Et subjungit: *An ma-  
teria cœlestis eadem sit cum materia inferiorum, non  
convenit inter Philosophos. --- Negant Aristoteles, & eius  
clientes.* Sed post nonnulla: *Aristoteles primus, ait, post e-  
um Peripatetica schola censuit, cœlum esse distincta natura ab  
elementis; Vnde & illustre extat proverbium: QUINTA  
SUBSTANTIA PERIPATETICORVM.* Atque naturæ di-  
versæ esse cœlū ab inferioribus, tribus rationibus ibi pro-  
bat. Quamquam tamen citatis jamjam verbis adjecerit;  
*Non quod diversa sit materia, ita ut duplex sit materia prima  
& simplex; Vna elementaris & corruptibilis, alia cœlestis &  
incorruptibilis: sed quod una & eadem materia aliter & aliter  
sit affecta.* Et in fine rationis secundæ dicat; *elementa &  
cœlum esse diversa natura, non diversa materia.* Ista igitur  
recte quidem Verhel: Interim loco terminandæ qua-  
estionis de Identitate vel diversitate materiæ cœlestis cum  
materia corruptibilium; Cœlum diversæ ab his esse na-  
turæ ostendit. Similiter Iohannes Magirus lib. II. Physiol.  
Aristot. cap. II. cum dixisset num. 12. *An materia cœli eadem  
sit cum materia inferiorum, inter Peripateticos non levis est di-  
sceptatio: Numero XIII. addit: Pleriq; Philosophorum ante  
Aristotelem arbitrati sunt, cœlum eiusdem esse natura cum e-  
lementis: quamquam ij etiam discrepantes fuere: nonnulli e-  
nim cœlum ignea natura esse arbitrati sunt. Num. XV: Primus  
Aristoteles eam sententiam, cœlum esse distincta natura ab ele-  
mentis, in scholis illustrem reddidit, unde in proverbium ferè  
abijt; Quinta substantia Peripateticorum.* Sed numero

C

XIX.

xix. ita: constat ergo, inquit, diversa rationis esse materiam  
corporum cœlestium à materia inferiorum. Quis non videt,  
quæstiones penitus distinctas miscere Magirum. Interim  
quod aliud sit, materiam cœli esse eandem vel diversam,  
aliud autem, naturam ejus eandem aut diversam esse à ma-  
teria vel natura inferiorum, facile constat: Nam natura  
rerum æstimatur ex forma quam habent, possuntq; aliqua  
naturæ esse diversæ, & de eadem tamen materia partici-  
pare. Naturæ & conditionis diversissimæ sunt lapides, arbo-  
res, animalia; eò quod diversas formas habent; sed mate-  
ria ipsorum eadem est.

XXVI. Notetur (2) ex Javello lix. Met. q. xiii. quod  
materiam cœli & inferiorum esse eiusdem rationis, apud Me-  
taphysicos est, esse eiusdem speciei, & distingui tantum numero,  
non ex se, sed ex quantitatibus & formis sub quibus sunt, prout  
diversa forma diversas materia partes informant. Diversa-  
rum rationum est esse diversarum specierum ab intrinseco, &  
secundum essentiam.

XXVII. Jam ad rem. Esse materiam cœli prorsus  
aliam & diversæ rationis à materia corruptibilium, multi  
& ij gravissimi Doctores adstruunt. Nempe Thomas part.  
I. qu. LXVI. art. II. cujus ista sunt: *Supposito quod nulla forma,  
quæ sit in corpore corruptibili, remaneat ut substrat a generati-  
oni & corruptioni: sequitur de necessitate, quod non sit eadem  
materia corporum corruptibilium & incorruptibilium. --- Im-  
possibile ergo est, quod corporis corruptibilis & incorruptibilis  
per naturam sit una materia.* Venerabilis Beda in Axioma-  
tibus Philosophicis: *Cælum non habet materiam eiusdem ra-  
tionis cum materia inferiorum.* Javellus l. lix. Met. qu. xiii.  
*In proposito dico, quod materia cœli & inferiorum distinguun-  
tur essentialiter, per differentias sibi intrinsecas.* Petrus Fon-  
seca in *Explanat. cap. III. libr. II. Metaphys. Materia cœlorum  
diver-*

*diversa est à materia rerum corruptibilium. Item: Materia  
cælorum, etsi est pura potentia, est tamen diversa à materia  
rerum corruptibilium. Benedictus Pererius lib. v. Physic.  
cap. x. Hanc, ait, disputationem de Materia cæli, ob eam maxi-  
merem instituit, ut doceremus, longe diversam esse ratio-  
nem materia cælestis atq; sublunaris. Paulò post: Si quas sen-  
tentias Aristotelis supra adduximus, quibus significari vide-  
tur, nullam in cælo esse materiam, eas sic interpretari oportet,  
ut non omnem cælo materiam, sed talem modo, qualis est in re-  
bus sublunaris, adimi intelligamus. Conimbricenses in 1.  
de Cælo c. 11. qu. vi. art. 111, etsi iudicium suum ferè su-  
spendunt, favere tamen imò patrocinari huic ipsi senten-  
tiæ, ista eorum verba indicant: Secundum Peripateticam  
doctrinam dicendum est, materiam cælestem differre specie à  
sublunari. --- Nos in decursu nostrarum commentationum in  
Aristotelem, cuius doctrinam, saltem cum aqua probabilitate,  
defendi posse profiteamur, decrevimus eam partem tueri,  
qua prædictas materias inter se specie disjungit. Suarez Di-  
sputat. Metaphysicâ XIII. sect. XI. num. VII. Secunda senten-  
tia docet, materiam cæli esse diversæ rationis à materia horum  
inferiorum. --- Est hæc sententia magis consentanea Philoso-  
phica doctrina. Murcia super 1. de Cælo, disp. II. qu. IV. Dico  
breviter: Materia cæli, & materia horum inferiorum, non  
sunt eiusdem rationis. Eademque opinio Cajetano, Alensi,  
Henrico, Richardo, Hispalensi, Capreolo, Hervæo, Fer-  
rariensi, Majori, & Alexandro à Conimbricensibus tri-  
buitur.*

X XII X. Denique ex maxime recentibus Iohannes  
Sperlingius Institut. Phys. lib. III. c. III. qu. I. idem existi-  
mat, multò tamen aliter exponit, & nescio quot materi-  
as naturæ obtrudit. *Quæ cæli materia sit, ait, an prima, an  
secunda, an analogæ igni, an aëri, an aquæ, parum nobis facessit*

negotij. Vno verbo, simplex materia est. Primam enim non habemus, neque analogiam, sed proprietatem in physicis curamus. Non cui similis sit, sed quid in se sit materia spectandum. Ut ergo cælum formam peculiarem habet, ita & peculiarem materiam. Ratio, quia inter materiam & formam danda proportio. Va et ubiq;: Alia forma, alia materia. Ut in compositis, alia materia lemnis, alia canis, alia quercus, alia hirundinis, alia auri est: ita & in simplicibus, alia cæli, alia ignis, alia aëris, alia aquæ, alia terra est. Eadem enim ubiq; ratio, proportio, nempe inter materiam & formam, inter actum, ut loquuntur, & potentiam. Non forma qualibet quamlibet informat materiam, sed certa certam.

XXIX. Autores paulo ante nominati sententiam suam inde cum primis statuminare conantur; quia si materia cæli diversa non sit à materia inferiorum, sequi, cælestem illam esse in potentia ad recipiendas formas corruptibilem, privationi subjectam, & consequenter cælum ipsum caducum esse. Ita Javellus: Si materia cæli & materia lapidis sunt eiusdem rationis, & distinctæ solum numero cum materia, ut materia sit ens in pura potentia ad formam, sequitur, quod ad quamcunque formam est in potentia materia lapidis, ad eandem sit in potentia materia cæli. Sed materia lapidis est in potentia ad formas inferiores, quas non habet, & ideo est subiecta privationi, & lapis est ex natura sua corruptibilis, ergo materia cæli est in potentia ad formas inferiores quas non habet, & sic est subiecta privationi, & cælum non est ex natura sua incorruptibile, quod est contra Philosophum. Sic quoque Pererius: Si materia cæli per se sumpta non differat à materia horum inferiorum: Ergo sicut hoc ex se in potentia ad formas sublunares, sic etiam illa, alioquin non essent eiusdem rationis. Quare materia cæli habet potentiam accipiendi formas sublunares: sed id contingere non potest sine inter-

interitū cœli, præsertim cum nulla potentia naturalis omnino  
frustrari possit: Ergo cœlum est corruptibile. Sic illi, & cum  
eis alij. Quin dicunt Conimbricenses, hanc rationem ef-  
se præcipuum, ac penè totum huius sententiæ fundamentum.

XXX. Sed profecto ratio ista rem nondum confi-  
cit. Concedimus, materiam cœlestem secundum se, ha-  
bere propensionem ad suscipiendas formas sublunarium.  
Una enim est materia in rerum natura, eaque prima, quæ  
in se considerata indifferens est ad formas omnes, & ut  
formam cœli, sic formam quoque inferiorum sustinere  
potest. Quia igitur cœlum æque ac sublunaria ex prima  
materia constat, jam & cœli materia in se est in potentia  
ad formas sublunarium, lapidis, auri, argenti; & horum  
materia in se, habet propensionem ad formam cœli & a-  
strorum. Quod autem materia cœlestis, ut formæ jam sub-  
stat, in contradictionis potentia non versatur, nec un-  
quam formam suam abjicit, & quandam sublunarium a-  
ctu in se recipit, id non habet quæ materia est, sed quæ tali  
formæ subjicitur. Rectè Eustachius à S. Paulo part. II. Phys.  
tract. I. Disp. II. q. I. *Licet in rebus elementaribus reperiatur  
potentia quædam contradictionis, eò quod possunt naturaliter  
esse vel non esse, non item in cœlis, cum natura sint incorrupti-  
biles. Hoc tamen non oritur ex parte materia, sed ex parte for-  
mæ, quia nempe forma cœli est eiusmodi, ut nullius naturalis  
agentis vi à subiecto avelli possit. Itaq; asserimus, Materia cœ-  
lesti, si secundum se spectetur, non minus ac elementari inesse  
potentiam contradictionis, & non tantum contrarietatis: id  
est, materiam cœlorum non tantum aptam esse ut recipiat con-  
trarias locorum differentias, sed etiam ut recipiat diversas  
substantiales formas. Quod autem nullum sit extrinsecum a-  
gens naturale ad id efficax, ut possit qualitates corruptivas in*

*materiam celi inducere, non ex ipsa ratione materia, sed ex nobilitate formæ, quæ vim omnem nocivam repellit, petendum est.*

XXXI. Instat Javellus: Si materia cœli est in potentia ad formas corruptibilium: Ergo est subiecta privationi; quemadmodum materia lapidis, quia est in potentia ad alias formas, privationi subicitur & corruptioni exponitur. Si autem hoc: Ergo & ipsum cœlum corruptibile est; quod posterius etiam Pererius urget. Resp. Materia cœli jam formæ substat, & cum ea compositum constituit. In compositum autem quæ tale nihil juris est privationi, adeoque nec in materiam, ut ea compositionis est principium. Est tamen materia subiecta privationi in generatione. Hinc videmus, falsum esse consequentiam hanc: Si materia cœli est in potentia ad formas sublunarium, ergo est subiecta privationi: Quia, ut dixi, materia privationi subicitur in generatione, non autem ut est in composito, & formæ substat. Jam verò formam materia cœlestis actu habet, & cum ea compositum facit: Itaque privationi quoque jam non subicitur. Par est de materia lapidis ratio: Nam ne illa quidem, ut formam lapidis habet, privationi substernitur: quatenus autem forma hæc expellitur, & nova introducenda est, sic privationem materia ea habet. Quod vero materia, ut in cœlo est, ad generationem non concurrat, concurrat autem ut est in inferioribus, id non provenit ex parte materiæ, sed formæ.

XXXII. Porrò, ad hoc quod materia privationi subiecta est, non sequitur quod corruptibilis sit. Si enim materia prima jam actu absque formis esset, in ea formarum privatio foret, nec tamen sine absurditate concludere.

deretur, Materiã primam tum esse corruptibilem. Deinde non privatio, sed materia est radix & principium corruptibilitatis. Si autem privatio tale sit, jam, quod tamen prorsus absolum, nullum compositum, nullum corpus naturale erit corruptibile; in compositis enim quã talibus privationem non esse antea indicavi. Illud autem perpetuò valet: Ubi materia, ibidem & corruptibilitas, sive potentia ad corruptionem est. Quapropter hoc respectu etiam cœlum naturã & intrinsece corruptibile est: Licet alio sensu & quatenus non est alterabile, nec qualitates alterativas sustinet, naturã suã & intrinsece incorruptibile sit.

XXXIII. Instat Pererius; Frustra est potentia, quæ non traducitur in actum. Si igitur materia cœli potentiam habet formas sublunariũ recipiendi, vel illa potentia aliquando in actum deducitur: vel frustra omnino erit. Neutrum verò asseri debet. Respondeo verbis subtilissimi Stahlj ex tit. II. regulã Philos. IX. §. 14. *potentiam materia corporum cœlestium esse traductam ad actum. Licet enim successu vè alias atque alias formas non suscipiat, esse tamen eandem potentiam, quã iam informatur formã cœli, & quã aliarum formarum materia illa capax est, & sic eam actuatam iam esse.* Quæ responsio eò minus absurda videtur, quod licet materia non transmutetur, & diversas formas recipiat, quã parte corporum cœlestium materia est, sustinet nihilominus huiusmodi mutationes, quã sublunarium materia est.

XXXIV. Sperlingiana quod attinet, non est ut ijs convellendis aliquid operæ impendamus, quia, uti patet, falsissimis & ab alijs pridem profligatis principijs, quod materia prima non detur, ac toridem materiæ sint quot formæ, unicè in nituntur. Ubi autem ita statuitur, nihil mirum est, si tam ludicra & prorsus *ἀσολα* cogitentur ac disseminentur.

XXXV.

XXXV. Nos probamus opinionem Ægidij, oppositæ partis patroni, & materiam cœli cum ea, quæ inferioribus competit, ejusdem rationis ac speciei esse contententis, quam cum Aristotelis mente exactè convenire (quicquid reclamationis) ostendit doctissimus Zeisoldus Notis ad Phys. Jacch. l. v. c. ii. Et quid opus est, materias præter evidentem necessitatem multiplicare? Unam naturam agnoscit, quæ prima est. Unde sequitur, eam cœlo & sublunaribus esse communem. Argumentamur autem ita: Quicquid easdem cum alijs corporibus habet conditiones & proprietates materiales, id ex eadem materia constat, quâ constant illa. Sed cœlum easdem cum his inferioribus materiales conditiones & proprietates habet. Ergo cœlum ex eadem constat materiâ, ex quâ constant illa. Major per se patet. Minorem probo: In cœlo enim æque ac sublunaribus reperimus quantitatem, mobilitatem &c. Manet igitur conclusio. Jam verò corpora sublunaria constant ex materia prima. Ergo & ex eadem cœlum compositum est. Tantum etiam de hac quæstione.



C O R O L L.

- I. Cœlum rectè appellatur primum vel quintum elementum.
- II. Nulla datur nec dari potest substantia, quæ absolute sit supernaturalis.
- III. Præter accidens predicabile & predicamentale datur tertium.
- IV. Accidens predicamentale potest esse substantia.
- V. Propositio conditionalis potest esse vera, etiamsi & antecedens & consequens sint absolute impossibilia.

F I N I S.



ALVENSLEBEN  
T  
173



23

PHYSICA

ERIA

LI,

M

M. A.

mi Philosopho-

llegij

IAIVLIA

IDE

RIXNERO

H. MAG.

*ini sistit*

HART MÜLLER

tenfis.

ANUAR.

MAIORI.

) ❁

T 173

TADII,

HEITMÜLLERI

23

B.I.G.

Farbkarte #13

